



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

Mezger, Paul

Augustæ Vindelicorum, 1695

Disputatio II. De ultimo fine hominis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74152)

suis actibus formaliter à se invicem distinguuntur penes diversa objecta formalia: sed hæc objecta sunt diversa media: siquidem istæ virtutes sunt electivæ, & versantur circa media ad finem.

16. Confirmatur 2. Ita se habet finis & media ad voluntatem, sicut principia & conclusiones ad intellectum: ergo sicut ad objectum formale intellectus non tantum pertinet veritas principiorum sed etiam conclusionum; sic etiam ad objectum formale voluntatis pertinet non tantum bonitas finis, sed etiam bonitas mediorum.
17. Confirmatur 3. à S. D. q. 8. a. 2. dicente: ita se habere finem ad media, sicut lux ad colorem: ergo sicut lux non impedit, quin color pertineat ad objectum formale visionis, ita bonitas finis non impedit, quin media pertineant ad objectum formale voluntatis.
18. Respondeo, distinguendo sequelam majoris. Finis esset objectum specificativum omnium actuum voluntatis, vel ut quod, vel ut quò, concedo, utroque modo, nego. Sed non est objectum specificativum electionis, consensus &c. ut quod, concedo, ut quo, nego minorem, & consequentiam. Ratio & sensus est, quòd equidem diversa media possint formaliter diversificare diversos actus voluntatis, quia tamen ipsorum bonitas est respectiva essentialiter subordinata bonitati finis, à qua voluntas per se primò movetur ad intentionem, & primò hâc mediante ad electionem mediorum, ita ut bonitas finis sit imbibita in ipsa bonitate mediorum, ideò finis est objectum formale quod, seu ratio formalis, sub qua media appetuntur: quemadmodum contingit in habitu alienius scientiæ, ubi licet variz conclusiones ex diversitate particularium objectorum formaliter terminantium & specificantium specie (ut aiunt) materiali distinguantur; illa tamen diversitas in ordine ad habitum scientiæ se habet materialiter, eò quòd omnia illa objecta particularia referantur ad unum primarium

totale, & sub unius principij & abstractionis lumine convenient.

Unde ad primam Confirmationem Respondeo, Virtutes morales unà cum suis actibus distinguuntur penes diversa objecta formalia, subordinabilia ad finem voluntatis, concedo, non subordinabilia, nego: ergò bonitas mediorum pertinet ad objectum formale ipsarum virtutum & habituum moralium, concedo, voluntatis, nego consequentiam.

Ad 2. confirmationem, quamvis Joa. à S. Thoma neget primum membrum consequentis (& tunc paritas est ipsis Adversarijs solvenda) expeditius tamen Respondeo cum Salmanticensibus negando adæquationem paritatis, eò quòd veritas tam conclusionum, quam principiorum sit de primaria intentione intelluctus; è contra appetibilitas mediorum non sit de primaria intentione voluntatis, cum non nisi propter aliud possint esse appetibilia.

Ad 3. confirmationem, esse aliquam, non autem omnimodam paritatem inter finem respectu mediorum, & lucem respectu colorum. Paritas est, quòd sicut color videtur dependere à luce, & habet intrinsecam visibilitatem; ita media appetuntur secundum intrinsecam suam bonitatem dependenter à bonitate finis. Disparitas est, quòd color non videatur propter lucem, & quasi sit via conducens ad videndam lucem, sed propter semetipsum visum terminat, e contra media amantur propter finem, tanquam via ad ipsum, unde obtento fine non amplius appetuntur.

Colliges ex dictis. Bonitatem finis, è medijs competere analogicè secundum analogiam proportionalitatis; quia hæc dicuntur analogæ proportionalitatis, in quibus omnibus ratio analogæ intrinsecè reperitur, ita tamen, ut uni principali analogato conveniat primariò, alijs secundariò dependenter ab illo: sed bonitas primariò reperitur in fine, secundariò & tamen intrinsecè reperitur in medijs: ergò.

DISPUTATIO II.

DE

Ultimo fine hominis.

INter fines humanæ vitæ finis ultimus primatum tenet, quippe à quo ceteri fines in movendo dependent. Hunc dari clara S. Scripturæ autoritas evincit, ut Prov. 16. *omnia propter semetipsum operatus est Dominus. Apoc. 1. Ego sum Alpha & omega, incipium & finis.* De quo eodémque non partiali, secundum quid, & in aliquo ordine, sed totali & simpliciter ultimo fit

ARTICULUS I.

An unus homo possit habere plures fines ultimos?

SUMMARI A.

1. Finis ultimus alius verus, alius apparens.
2. Alius formalis & in communi, alius materialis & in particulari.
3. Apud RR. alius positivè, alius negativè ultimè.
4. Conversio in ultimum finem, alia actualis, alia habitualis.
5. Alia in actu signato, alia in actu exercito.
6. Potest accipi tendentia in fines ultimos plures copulativè, vel disjunctivè.

7. *Vel formalis, vel virtualis.*
8. *Vel efficax, vel inefficax.*
9. *Non appetuntur plures fines ultimi formales.*
10. *Ratio S. D. ad demonstrandam necessitatem finis ultimi*
11. *Quomodo intelligendum axioma: Bonum est diffusivum sui.*
12. *Successivè voluntas potest habere plures fines ultimos.*
13. *Implicantia plurium finium ultimorum ex auctoritate & ratione.*
14. *Extenditur etiam ad appetentiam plurium distinctivè.*
15. *Nec potest unus ultimus finis actualiter, alter habitualiter intendi appetitui efficaci.*
16. *Nec potest unus simul esse positivè, alter negativè ultimus.*
17. *Nec unus formaliter, alter virtualiter simul intenditur.*
18. *Possunt tamen esse ejusdem voluntatis duo fines ultimi, unus simpliciter & efficaciter, alius secundum quid, & ineffaciter.*
19. *An gentiles in cultu plurimum Deorum habuerint plures fines ultimos?*
20. *An in intellectu dentur plura prima principia?*
21. *Quomodo peccator per virtutem spei tendat in Deum ut finem ultimum?*

§. I.

Præsuppositæ divisiones.

Finis simpliciter ultimus dividitur primò in verum, & apparentem, quorum ille est, qui à parte rei continet omne bonum, et que adæquatè satisfaciunt voluntatis, nempe DEUS opt. Apparens est, qui falsò talis apprehenditur, de quo sequenti.

1. Dividitur secundò in finem ultimum formalem in communi vel abstracto, quod est bonum ut sic, & creatudo in communi, abstrahens ab ijs rebus & finibus in particulari, in quibus determinatè reperiri possit: & in finem ultimum materiale seu in particulari, qui est bonum adæquatè satisfaciendum in re determinata constitutum. Præsens questio procedit de fine ultimo, prout abstrahit à vero & apparenti, & de fine ultimo in particulari: cum certum sit, finem ultimum in communi, hoc ipsò, quòd sit abstractus, etiam esse unicum & juxta infr, dicenda, trahere hominis voluntatem ad sui prosecutionem necessitate quoad specificationem, eò quòd in ipso nulla ratio mali admixta reluceat.

2. Dividitur 3. in ultimum positivè, & negativè. Illum appellant, in quem omnia tanquam in optimum desiderabile referuntur; istum ad quem licet non omnia referantur, ipse tamen nullius ulterioris finis gratià appetitur.

3. Interèa varij sunt modi, quibus finis ultimus appeti potest. Primò actualiter, vel habitualiter. Actualiter homo est conversus in ultimum finem, cum formali actu in ipsum tendit. Habitualmente, cum vi præteriti actus est inclinatus & determinatus ad ultimum finem, tamen nullo actu de facto in ipsum tendat, uti homo peccator dormiens, vel faciens aliquod opus moraliter bonum est habitualiter conversus in creaturam tanquam ultimum finem.

R. P. Mezg. Theol. Schol. Tom. II.

Secundò potest alicui objecto ab homine operante tribui ratio finis ultimi vel in actu signato, vel in actu exercito. In actu signato tribuit, cum explicite & expressè judicat, suam summam felicitatem in tali objecto esse constitutam. In actu exercito tribuit, quando ex ipso modo operandi ita se habet, ac si suam summam felicitatem in tali objecto collocaret. Quòd modò ordinariè peccator ultimum finem constituit in creatura, quatenus videlicet Legem DEI, & bonum increatum posthabendo bono creato, neque istud referendo in DEUM, interpretativè judicat (non speculativè, formaliter & in actu signato, alias quilibet peccans esset hæreticus, vel ethnicus) illud bonum creatum esse suum finem ultimum.

Tertiò tendentia voluntatis in plures fines ultimos potest accipi de pluribus vel copulativè, vel disjunctivè sumptis. Copulativè, si feratur in plures simul v. g. voluptatem, opes, honorem &c. Disjunctivè, si alterutrum divisim & determinatè velit, v. g. vel voluptatem, vel honorem &c.

Quartò appetitus ultimi finis potest esse vel formalis, hoc est, actualis intentio ipsius, vel virtualis, h. e. tendentia causata ex præterita intentione, & relicta in aliquo suo effectu, tamen si actu de fine non cogitetur.

Quintò potest volitio finis ultimi esse efficax vel inefficax. Efficaciter ultimus finis tunc est volitus, quando quis se & omnia sua (sicque etiam omnem habitualem relationem) convertit in ultimum finem. Inefficaciter est volitus, quando quidem ex vi operis nec actu, nec virtute referretur ulterius, non tamen omnem etiam habitualem relationem operantis in se convertit, & ab omni alio fine avertit, sicuti licet finis ultimus à venialiter peccante intensus nec actu, nec virtute referri possit in DEUM, quia tamen non destruit habitum charitatis, per quem homo se toto est habitualiter relatus in DEUM, idè non est efficaciter, sed ineffaciter tantum intentus.

§. II.

Certiora præmittuntur.

Certum sit primò. Non dari, aut appeti plures ultimos fines in communi: iste enim cum sit abstractus, etiam est unicus, & cum in ipso nulla ratio alicujus mali, vel molesti reluceat, à voluntate amatur necessariò quoad specificationem, prout infra pluribus.

Certum sit secundò. Dari aliquem finem ultimum humane vitæ, esse per rationem demonstrabile. Et quidem ratio Doctoris Angelici 4. est. In causis per se subordinatis non datur processus in infinitum: Unde sicut necesse est, perveniri ad primum movens, quia ultima & proxima causa non potest movere nisi in virtute primæ, adeòque si nullum daretur primum movens, nullus omninò daretur motus; ita similiter necesse est perveniri ad ultimum finem, quia fines proximi & immediati non movent, nisi in virtute finis ultimi, adeòque si non daretur finis ultimus, etiam nulla daretur finis motio.

Confirmatur. Sicut in executione voluntas à medijs, sic in intentione à fine incipit: sed implicat, ut in executione voluntas operetur, nisi detur

B

detur

detur primum medium, ergo etiam implicat, ut in intentione operetur, nisi detur finis ultimus.

Dixi: *in causis per se subordinatis*: quia in finibus, qui tantum per accidens conjunguntur, cessat ratio conclusionis, ideòque nihil impedit, quin successivè & syncategorematicè plures fines disparati appeti possint in infinitum.

11. Neque dicas: bonum esse diffusivum sui, adeòque quilibet finis, utpote bonum quoddam debebit in ulteriorem finem diffundi, sicque nunquam pervenietur ad finem ultimum, sed dabitur processus in infinitum. Nam istud axioma triplicem admittit sensum & expositionem. Primò. Quòd sit diffusivum alliciendo & trahendo voluntatem. Ita S. D. I. p. q. 5. a. 4. ad 2. Secundò virtute, non actu. Tertiò. Secundum capacitatem termini, unde implicante infinitate creatorum finium, & implicat infinita diffusio. Quilibet ex his expositione satisfacit objectioni.

12. Certum sit tertiò. Possè eandem voluntatem successivè habere plures fines ultimos. Ita enim homo ex peccatore modò justus, modò ex justo fit peccator transferendo finem ultimum vel à creatura in DEUM, vel à DEO in creaturam. Difficultas est primò, an voluntas pro eodem tempore plures fines totales positivè vel negativè ultimos copulativè, vel disjunctivè actualiter, vel habitualiter, formaliter, vel virtualiter possit appetere? ubi aliter Thomistæ, aliter Scotistæ, & RR. sentiunt.

§. III.

Resolutio questionis.

13. **CONCLUSIO:** *Voluntas non potest simul tenere efficaciter in duos fines totaliter ultimos.* Ita S. D. hic a. 5. cum suis Discipulis, & non obscure deducitur ex Verbis Christi Matth. 7. *Nemo potest duobus Dominis servire, non potestis DEO servire, & Mammonæ.* Item ex 3. Reg. 18. ubi Elias Israelitas objurgans: *Utsquequò claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini illum.* Cui objurgationi populus naturali lumine convictus, nec verbum ausus opponere contuit. *Et non respondit populus ei verbum.*

Ratio est: quia, si appeterentur ejusmodi fines, simul essent simpliciter ultimi ex suppositione, & simul non essent: quia finis simpliciter ultimus appetitur per modum adæquatè satiativi, quasi nihil extra ipsum appetendum relinquatur. Finis quoque simpliciter ultimus dicitur 1. Eth. c. 2. qui ita propter se appetitur, ut cætera omnia propter ipsum appetantur: sed si appeterentur duo ultimi fines, finis A, & finis B, tunc extra finem A, adhuc aliquid apprehenderetur, ut satiativum appetitûs, nempe finis B. idem dixeris de fine B, neuter quoque ex istis duobus ad alterum referretur: ergo neuter esset finis simpliciter ultimus.

Confirmatur primò. Non possunt secundum meliorem Philosophiam dari simul 2. causæ totales ejusdem generis in ordine ad eundem effectum; sed duo ultimi fines essent 2. causæ totales ejusdem generis respectu ejusdem appetitûs: ergo.

Confirmatur 2. Primum principium cujuslibet generis debet esse unum, sicut & ipsum ge-

nus: sed finis ultimus est primum principium in genere appetibilem: ergo debet esse unum. Hinc ad reliquorum solutionem

Inferes primò. Plures ultimos fines non solum copulativè, sed ne quidem disjunctivè simul appeti posse; Nam etiamsi disjunctivè appeterentur, neuter eorum referretur ad alterum, nec appeteretur ut simpliciter satiativus, & bonum perfectum: sed hoc est contra rationem ultimi finis totalis: ergo.

Inferes secundò. Nec fieri posse, ut homo efficaciter conversus in unum finem ultimum actualiter, & in alium habitualiter. Nam efficax conversio necessariò destruit habituales conversiones in alium finem, siquidem per illam hominè se & omnia sua refert in finem; sed si remaneat habitualis conversio in alium finem ultimum, hoc ipsò actualis illa conversio non est efficax.

Inferes tertiò: contra Suar. tract. 1. de actuali hum. disp. 3. se. 2. ne quidem simul consistere posse duos fines, quorum unus sit positivè, & alter negativè ultimus, vel quorum uterque tantum sit negativè ultimus. Non primum, quia cum finis positivè ultimus dicatur ille, ad quem omnia referuntur, & qui super omnia appetitur, jam finis positivè ultimus non esset positivè ultimus, si præter se haberet finem negativè ultimum, quippe qui ad ipsum nullatenus foret relictus. Non etiam secundum, quia voluntas debet habere aliquem finem simpliciter & positivè ultimum, quem super omnia diligat, ut partim constat ex num. 3. partim infra §. 6. dicitur.

Inferes quartò. Nec simul dari posse duos fines ultimos, quorum unus sit formaliter, alter virtualiter intentus, vel enim uterque appeteretur ut completè satiativus, vel non: vel ordinarentur ad se invicem, vel non. Quidconque dicatur, cessat ratio finis ultimi, juxta super dicta: ergo.

Inferes quintò. Non repugnare simul in voluntate duos fines ultimos, quorum unus in ratione finis ultimi sit simpliciter, & efficaciter; alius verò inefficaciter, & secundum quid voluntus. Constat primò: quia peccator in statu peccati mortalis constitutus, potest facere opus moraliter bonum, v. g. dare elemosynam: sed tunc ratione peccati mortalis est habitu conversus in creaturam: aliàs hoc opus jam non esset moraliter bonum: ergo tunc simul habet duos ultimos fines, non quidem utrumque efficaciter, sed unum efficaciter, & alterum inefficaciter intentos. Constat secundò, In homine justo moraliter peccante, nam cum peccatum veniale tantquam malum morale nullò modò sit odibile in DEUM, venialiter peccans pro ultimo fine habebit creaturam, non quidem efficaciter, sed inefficaciter intentam, & tamen per habitum charitatis, qui per veniale non destruitur, homo tunc efficaciter, habitualiter tamen est conversus in DEUM, ut ultimum finem simpliciter & efficaciter intentum.

§. IV.

Solvuntur objectiones.

Obijcies primò: Gentiles & Pagani de factis existimant esse plures DEOS; & in ipsorum cultum

cultum se & omnia sua referunt: ergo de facto habent plures fines ultimos: quia quidquid apprehenditur in ratione DEI, apprehenditur in ratione summi boni, & finis ultimi.

Respondeo. Cum gentiles profanos Deos coluerint, & colant propter temporalem aliquam felicitatem, honores, divitias &c. potius in sua commoditate, quam in ipsis Dijs finem suum ultimum constituere, posito tamen, quod etiam in cultum deorum omnia sua referant, aut repleant, tunc finem ultimum collocasse in omnibus Dijs simul sumptis, quorum uni frugum ubertatem, alteri tempestatum, alij maris, voluptatum &c. patrocinium & gubernationem tribuebant. Ideoque plures Deos tanquam ultimos fines parciales colebant. Ad probationem Respondeo, quidquid in ratione DEI secundum veram & adequatam rationem Deitatis apprehenditur, illud apprehenditur sub ratione summi boni, concedo, quidquid apprehenditur sub falsa & partiali solum ratione Deitatis, nego.

Obijcies secundò. Dantur in intellectu plura prima principia, in quæ omnia alia resolvuntur, nec ipsa ad se invicem referuntur: ergo etiam in voluntate possunt dari plures fines saltem negativè ultimi, qui ad se invicem non referantur, ut si quis disparatim in voluptate & divitijs summam suam felicitatem collocet.

Respondeo negando antecedens. Omnia enim principia intellectus speculativi reducuntur ad istud: quodlibet est, vel non est; & omnia principia intellectus practici ad illud; declina à malo, & fac bonum.

Obijcies tertio. Qui mortaliter peccat, non ideò amittit Theologicam virtutem spei, per quam tendit in DEUM, ut nostrum finem ultimum, & beatitudinem objectivam: ergo peccatum præter finem ultimum, quem sibi peccando constituit, insuper habet DEUM pro ultimo fine.

Respondeo. Distinguendo alterum membrum 21. antecedentis, tendit inefficaciter in DEUM, concedo, tendit efficaciter, nego. Item tendit in Deum ut finem ultimum aliquando consequendum & possidendum, concedo, ut hic & nunc super omnia appetiendum, nego antecedens & consequentiam. Quia spes non tendit in DEUM sub ea ratione, ut voluntas ipsum super omnia appetiendum se & omnia sua in ipsum convertat, hoc quippe proprium est charitatis, quæ DEUM respicit, sub qua ratione est super omnia amabilis, adeoque non tantum ut objectum & finis operis, sed etiam ut est ultimus finis operantis. Spes autem solum tendit in DEUM, ut aliquando mediantibus Divinis auxilijs possidendum.

ARTICULUS II.

In quo mortaliter peccans constituat suum finem ultimum?

SUMMARI A.

1. Peccans pro fine simpliciter ultimo habet bonum creatum.
2. Idque formaliter est proprium commodum peccantis.
3. Auctoritas D. Augustini. 4. & D. Thomæ.
4. Natura vitiosa seipsam ultimam respicit.
5. Peccatum ex indiscreto zelo & ignorantia vincibili non habet DEUM pro ultimo fine.
6. Quomodo fieri possit, ut DEUS ametur plus, quam creatura, nec tamen sit finis ultimus?
7. Proprium commodum per reflexionem in suppositum peccantis sit finis determinatus.
8. Animus statim respiciendi non tollit, quò minus peccans efficaciter habeat creaturam pro fine ultimo.
9. Sententia Gonetii.
10. Eligium contraria, dicens, finem ultimum peccantis esse bonum proprium inordinatum.
11. Quia juxta SS. PP. ultimus finis peccantis est bonum commutabile.
12. Idque objectivè malum.
13. Respondetur ad objectiones Gonetii.

§. I.

Statuitur doctrina Thomistica.

Suppono, quòd omnis peccans mortaliter, quantum ad affectum & interpretativè, constituit suum finem ultimum simpliciter in bono creato. Ita S. D. q. 28. d. Verit. a. 1. peccator, inquit, quantum ad affectum præponit creaturam creatori diligens plus creaturam, quam creatorem. Et crebrò indicatur in S. Scriptura, ut R. P. Mezg. Theol. Schol. Tom. II.

Deut. 32. Dereliquit DEUM factorem suum, & recessit à DEO salutari suo. If. 1. Va genti peccatrici, dereliquerunt DEUM, abalienati sunt retrorsum. Jer. 2. Me dereliquerunt fontem aque viva, & foderunt sibi cisternas dissipatas. &c. In hunc eundem sensum loquuntur SS. PP. & D. Augustinus l. 2. de libero arbit. c. 19. definiunt peccatum mortale, quòd sit averso ab incommutabili bono, & converso ad commutabilia bona. Ac rursus 15. de Trinit. Peccatum ordine neglecto amantes præte, quod est conditum propter te.

Et ratio est: actio, quæ quis mortaliter peccat, est actio honesta, adeoque propter aliquem finem ultimum determinatum, ut deinceps dicitur; sed non est propter verum & increatum finem ultimum: ergo est propter finem ultimum apparentem & creatum.

Dubium est. Quodnam sit illud bonum creatum, in quo peccans sibi ultimum finem constituit. Nam Vasq. disp. 5. c. 1. & 3. existimat, ultimum finem saltem negativum peccantis esse ipsum objectum circa quod peccati mortalis, ut est voluptas respectu libidinis, pecunia respectu furti. Curiel existimat peccantis ultimum finem esse aggregatum ex omnibus bonis creatis, circa quod homo peccat. Alij aliter. Thomistarum & nostra est

CONCLUSIO. Finis ultimus totalis mortaliter peccantis in concreto est ipsemet peccator, ita quidem, ut persona peccantis sit finis cui; proprium verò bonum seu commodum proprii suppositi sit finis cuius, ad quem referuntur, in eoque adstantur parti-

particulares & proximi fines intermedii quorumlibet peccatorum, lucrum avari, voluptas libidinosi &c. Ita communis Thomistarum.

3. Probatur primò auctoritate Divi Augustini l. 15. de civit. c. 28. dicentis: quòd sicut amor DEI edificat civitatem celestem, ut que ad contemptum sui; ita amor sui edificat civitatem terrenam usque ad contemptum DEI. Ubi indicat, originem peccatorum esse pravum amoris sui ipsius, ita ut ipsemet peccator per inordinatum sui amorem sit primum movens in intentione, ex quo consequuntur operationes præmotæ ad contemptum DEI. Prout etiam indicavit Apostolus ad Philip. 2. de peccatoribus dicens: *Omnes querunt, quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi.* Ipse etiam Aristoteles l. 9. Eth. c. 4. & 8. asseruit: *Pravus sui gratia agit, & tanto magis, quanto pravior est.*
4. Probatur secundò auctoritate Doct. Angelici in 2. dist. 42. q. 2. a. 1. dicentis: *Finis ultimus in amore commutabilium bonorum est ipse homo, propter quem omnia alia querit.* Et infra q. 77. a. 4. *Inordinatus amor sui est causa omnis peccati.* & q. 84. a. 2. *Finis in omnibus temporalibus acquirendis est, ut homo per illa quamdam perfectionem singularem & excellentiam habeat.*
5. Probatur tertio ratione. Illud habet rationem finis ultimi, cujus intuitu cætera omnia diliguntur, sed intuitu commodi & boni proprii à peccatore cætera omnia diliguntur; ergò. Minor præter auctoritates præallegatas probatur. Omnis inclinatio tendit in bonum naturæ, in qua radicitur, est enim appetitus secundum naturam; sed affectus peccatoris est inclinatio naturæ sibi relicte; ergò tendit in bonum proprium; uti e contra affectus iusti, quia est ex gratia & charitate, est inclinatio naturæ participativæ Divinæ, ideòque tendit in bonum Divinum.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

6. **O**bjicies primò: Potest aliquis peccare mortaliter, & nihilominus plus DEUM quam creaturam diligere; ergò peccator non semper constituit finem ultimum in creatura. Antecedens probatur multipliciter. Nam primò peccant aliqui est indiscreto zelo, existimantes, se obsequium præstare DEO. De quibus Apostolus Rom. 10. dicit, quòd zelum quidem habeant, sed non secundum scientiam; Atqui talis creaturam DEO non præferret; siquidem peccaret ex nimio studio placendi DEO.

Secundò datur etiam peccatum ex ignorantia vincibili, quo quis facit actionem malam, existimans, se per illam implere præceptum DEI: ut, si vincibili errore quis existimans se facere obsequium pietatis, occidat seipsum, uxorem aut liberos, ne veniant in partem infidelium. Quo casu similiter non peccat ex affectu inordinato erga creaturam, sed potius erga DEUM.

Tertio. Sit quis paratus furari, ita tamen, ut profuro nolit se exponere periculo vitæ; qui tamè sit paratus etiam cum periculo vitæ profiteri fidem; is utiq. plus DEUM amat, quam creaturam; siquidem vitam postponit DEO, non autem lucro pecuniario, & Christus ipse Jo. 13. dixit, quòd nemo

habeat majorem charitatem, quam ut animam ponat pro amicis: & tamen iste peccat mortaliter per voluntatem furandi.

Respondeo, negando antecedens, & ad 1. probationem nego minorem. Nam etiam, qui peccant ex imprudenti zelo, ex inordinato sui amore, inducuntur in eam Judicii pernicitiam, ut negligant disquirere, quanam sit voluntas Dei beneplacens & perfecta: unde non omnis, qui dicit Domine, Domine, & quomodocumq. honore Dei pro objecto suæ actionis præfigit, sed, qui eò modo præfigit, quo Lex Divina præscribit, ille est dilectione DEI operatur: alioquin seipsum magis, quam Deum amare convincitur. Eadem est responsio ad 2. probationem. Illa quippe negligentia legem & obligationem inquirendi radicatur in proprio amore, virtualiter prælato Legi Divinæ.

Ad 3. probationem Respondeo. In illo casu homo plus diligit DEUM sub ratione boni particularis, quatenus est finis operis, & proximum obiectum fidei, concedo, sub ratione finis ultimi, & ut est finis operantis, nego. Item diligunt plus DEUM, quam creaturam, quæ est lucrum futurum, concedo, quam creaturam, quæ est proprium commodum, nego. Si enim Deum plus diligens, quam proprium commodum, legem DEI amore proprii commodi non transgrediretur. Ad auctoritatem ex Jo. 13. Respondeo, Hoc verum esse, quando quis animam, h. e. vitam ponit ex appetitativo amore DEI super omnia: non autem, quando ex sola firma adhesionem ad virtutem fidei (quamvis ut in Tract. d. fid. dicitur, Divina providentia non facile permittat martyrium, nisi ex charitate imperatum, tunc enim locum habere illud Apostoli Cor. 13. Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuerit, nihil mihi prodest.

Objicies secundò. Finis simpliciter ultimus peccatoris debet esse determinatus: sed bonum, proprium sariativum non est finis ultimus formalis in communi, quem omnes æque iusti ac iniusti appetunt: nemo enim est, qui non velit sibi bene & beatè esse: ergò non est finis determinatus in particulari.

Respondeo distinguendo minorem. Bonum proprium sariativum in communi, ut prædictum à deordinata est recurva reflexione in proprium suppositum est finis ultimus formalis in communi non determinatus, concedo, bonum, vel potius commodum proprium deordinatè reflexum & restrictum ad proprium suppositum cum subtractione à regula superiori, nego minorem. Atque per ly proprium intelligimus illam incurvam ac deordinatam reflexionem boni convenientis ad proprium suppositum, in quo peccator cum subtractione à Divina regula & vero sine ultimo pravè conquietit.

Objicies tertio: qui peccatum committeret, nemo statim respiciendi, non efficaciter converteretur in creaturam ut finem ultimum, & tamen peccaret mortaliter: ergò non in omni peccato mortali creatura est finis simpliciter ultimus efficaciter intentus. Antecedens probatur à pari. Qui ageret penitentiam animò brevi iterum peccandi, non serò converteretur in DEUM ut finem ultimum; ergò pariter, qui committeret

per peccatum animò statim respiciendi, non fieri converteretur in creaturam ut ultimum finem.

Respondeo, negando primum membrum antecedentis, & paritatem probationis. Disparitas est, quòd, ut quis ultimum finem interpretativè, & quoad affectum simpliciter ponat in creatura, satis est, quòd pro unico instanti Deum, ejusque legem & amicitiam creaturam postponat, grave præceptum transgrediendò, ut autem efficaciter converteretur in Deum, tanquam finem simpliciter ultimum, debet habere propositum efficacem Deo semper & pro semper adherendi, ejusque legem servandi, quale non habet, qui poenitentiam agit, vel potius simulat cum animo statim iterum peccandi.

§. III.

Hoc bonum proprium peccatoris est inordinatum.

Manet ergò, bonum illud creatum, in quo voluntas peccatoris ultimò quiescit, esse bonum proprium. Non eodem tamen modo hoc bonum proprium Thomistæ explicant. Gonet de peccatis, disp. 9. a. 2. cum Salmanticens. Vult esse bonum proprium & perfectivum naturæ appetentis, prout abstrahit à creato & increato, honesto & delectabili, connotat tamen privationem gratiæ & charitatis. Et in hunc finem, ait, omnes actus peccatoris sive malos, sive moraliter bonos referri cum hoc discrimine, quòd mali seu peccaminosi hiant in bono proprio, causando simul privationem gratiæ & charitatis, actus verò moraliter boni præscindunt ab illa privatione. At verò Jo. à S. Th. hic a. 7. Gibbon disp. 3. dub. 4. §. 2. docent, ultimum finem peccatoris consistere in bono proprio creato inordinato & contrariò legi Divinæ, sive prout habet conjunctam privationem debitæ ordinationis in regulam Divinam & rectæ rationis.

Hanc posteriorem sententiam amplector & probò primò. Nisi ultimus finis peccatoris esset bonum proprium inordinatum, amor sui & superbia non rectè dicerentur *radix & initium omnis peccati*. Consequens est contrarium S. Scripturæ & D. Th. infra q. 84. a. 2. & 22. q. 361. a. 2. sequela quoad 1. membrum probatur, velle bonum, quòd abstrahit ab inordinato, ut sic non est initium peccati: sed amor sui esset velle sibi bonum tali modo abstrahens: ergò non esset initium peccati. Ideò S. D. q. 8. de malo. a. 1. ad 19. dicit: *capita vitiorum includunt inordinatum sui amoris*. Eadem sequela quoad 2. membrum probatur. Peccatum superbiæ est appetitus excellentiæ inordinatæ & indebitæ, ut constat ex didis in Tract. de Ang. c. 8. §. 3. de peccato Angelorum: ergò si radix omnis peccati est superbia, debet affectus peccatoris respicere excellentiam, seu bonum proprium inordinatum.

Probatur secundò. Ex modo loquendi SS. PP. homo per mortale peccatum avertitur ab increato & incommutabili bono, & convertitur ad bonum commutabile: sed bonum proprium ut abstrahens à creato & increato, non est bonum creatum commutabile: ergò ut sic non est ultimus finis peccantis mortaliter.

Confirmatur primò. Ultimus finis peccantis est irreferibilis in Deum; sed bonum proprium hominis ut sic non est irreferibile in DEUM: ergò.

Confirmatur secundò: Illud bonum proprium vel admittit, vel excludit ordinem debitum in finem superiorem. Si admittit, jam nec est finis ultimus, nec peccaminosus. Si excludit, hoc ipsò est bonum inordinatum.

Unde non dicas cum Gonet loco citato, finem mortaliter peccantis exinde satis esse irreferibilem in DEUM, quòd connotet privationem gratiæ & charitatis.

Nam contrà est: quòd ideò connotat gratiæ & charitatis privationem, quia causat, & excludit: sed non causat & excludit, quàm quia est bonum contrarium ordini charitatis & legis Divinæ: ergò.

Probatur tertio hac ratione: Finis ultimus per actum peccati ultimè intentus debet esse objectivè malus; sed bonum proprium ut abstrahens ab honesto & inhonesto non est finis objectivè malus: ergò nec est finis ultimus mortaliter peccantis. Minor est certa. Major probatur. Actus rationem boni vel mali moralis non tantum accipit ab objecto, sed etiam ex fine, ut hic a. 3. docet S. D. & ex dicendis constabit: sed finis ultimus non minus exercet rationem finis, quàm alij fines proximi & intermedij: ergò si isti sunt objectivè mali & inordinati, etiam finis ultimus peccantis debet esse objectivè malus & inordinatus, præsertim cum in ultimo fine reperiat prima ratio finalizandi, à qua omnes intermedij fines in finalizando dependent.

Confirmatur. Finis quantumvis secundum se & ex objecto bonus, e. g. largitio elemosynæ, tamen in actu exercito efficitur objectivè malus, quando est ratio eligendi malum medium v. g. furandi; ergò quantumvis bonum proprium secundum se abstrahè consideratum non sit inordinatum, tamen quia in actu exercito hic & nunc est ratio finalis ultima eligendi finem proximum mortaliter peccaminosum, & mortaliter malum, etiam erit objectivè malum & inordinatum.

Dices primò. Bonum inordinatum referri potest ulterius, ut si fueris ob dandam elemosynam: sed ultimus finis peccantis non potest referri ulterius: ergò bonum inordinatum non est ultimus finis peccantis.

Secundò sequeretur, quòd omnes actus eliciti in statu peccati mortalis, etiam ex objecto morali boni essent peccata mortalia: quia haberent pro fine simpliciter ultimo bonum proprium peccatoris inordinatum.

Respondeo ad 1. Bonum inordinatum particulare, ut est in proposito lucrum furtivum inordinatum potest referri ulterius, concedo, bonum proprium præscindens ab hoc vel illo in particulari, quòd dicimus esse finem ultimum peccantis, nego majorem; & pariter distincto consequente, nego consequentiam.

Ad 2. nego sequelam & probationem distinguo. Illi actus moraliter boni pro fine ultimo tantum habitualiter intento haberent bonum proprium inordinatum, concedo, actualiter in

tento, nego: Sed actus habentes pro fine ultimo actualiter intento bonum proprium inordinatum, sunt moraliter mali, concedo, tantum habitualiter intento, nego minorem & consequentiam. Si petas, in quem igitur finem ultimum referatur actio peccatoris moraliter honesta, ut est largitio eleemosynarum?

Respondedo, referri inefficaciter in DEUM, ut ultimum finem secundum quid, Quorum ratio patebit ex a. sequenti.

ARTICULUS III.

In quo venialiter peccans constituat finem ultimum?

SUMMARIUM.

1. Status controversia.
2. Quo sensu admitti possit, venialiter peccantem habere creaturam pro fine ultimo negativè?
3. Quid sit, omnia habitu referri in finem ultimum?
4. Venialiter peccantis finis ultimus est proprium commodum inordinatum.
5. Inefficaciter inventum.
6. Ideo non est ultimus finis simpliciter.
7. Ad finem simpliciter ultimum sufficit, ut in ipsum omnia referantur actu, vel habitu.
8. Peccatum veniale non dicitur fieri propter DEUM.
9. Peccans venialiter inhaeret bono temporali, non ut fruens, sed utens.
10. Quo sensu veniale peccatum non sit contra legem DEI.
11. Quid sentiendum de peccatore faciente opus moraliter bonum.

§. I.

Præsupposita.

1. **F**ACTA duplici hypothese, primò, quòd homo quolibet actu humano feratur in aliquem finem ultimum, etiam determinatum & materialem, ut in art. seq. dicemus. Secundò, quòd peccatum veniale seu malum morale sit irreferibile in DEUM, nec tamen destruat habitum gratiæ & charitatis, quo iustus habitualiter est conversus in DEUM ut ultimum finem, exurgit non levis difficultas, an non venialiter peccans simul & semel habeat duos fines simpliciter ultimos, unum nempe DEUM vi gratiæ & charitatis, alterum bonum proprium, vi peccati venialis irreferibilis in DEUM.

2. Et quidem Suarez, Vasq. Gibbon affirmant, venialiter peccantem pro fine negativè ultimo habere illam creaturam, cuius gratiæ à lege defleat, licet enim in illam non omnia referat, ipsam tamen non refert ulterius, quæ sententia si per creaturam seu finem negativè ultimum, intelligat bonum proprium inordinatum, quod sub ratione finis actualis, & ex parte operis nec actu, nec virtute refertur in DEUM, bene tamen habitu, & ex parte operantis, in re est nostra sententia, & solo loquendi modo differt. Si verò intelligat objectum peccati venialis, quod ulterius nec actualiter, nec habitualiter refertur, sustineri non potest.

Primò. Quia hac ratione DEUS non esset finis simpliciter ultimus peccantis venialiter: sed hoc est absurdum: ergo. Sequela probatur. Finis simpliciter ultimus requirit, ut quæcunque appetuntur, aliquo modo in ipsum referantur: sed illæ creaturæ & objecta peccatorum venialium, seu fines negativè ultimi nullo modo referuntur in DEUM: ergò

Secundò. Potest unum objectum peccati venialis referri ad aliud, uti cum quis propter vanam gloriam leviter mentitur: ergò objecta peccatorum venialium non sunt fines negativè ultimi.

Tertio. Omnis inclinatio à natura proveniens (ut antè dictum,) ultimato tendit in bonum illius naturæ: ergò etiam peccatum veniale ultimato non sinit in bono & objecto particulari, quod appetitur, sed ulterius in bonum proprium ordinatur.

Pro huius difficultatis solutione notandum est, ex S. D. infr. q. 88. a. 1. ad 7. & 3. 2. q. 2. 4. a. 1. ad secundum, q. 7. de malo a. 1. ad 4. ad rationem ultimi finis simpliciter sufficere, ut omnia in ipsum referantur, si non actu vel virtute, saltem tamen habitu, & sic in homine iusto peccata venialia, eorumque objecta habitu referri in DEUM. Porrò hæc habitualis relatio plus non dicit, quam quòd veniale peccatum ex vi sua non destruat, sed relinquat habitum charitatis, qui suæ naturæ est efficax ad omnia actu referenda in DEUM, quæcunque sunt referibilia in ipsum. Et quia ex habitu charitatis homo ita est affectus erga DEUM tanquam finem ultimum, ut sit paratus omne bonum creatum, etiam id, cuius gratiæ venialiter peccat, deserere, si propterea Divinam gratiam se amissuram sciret, ideò ratione huius habitualis affectus in DEUM, adhuc ipsum, quantumvis venialiter offendant, appetitativè amant super omnia, & præfert cuiusque bono creato, ac proinde habet pro fine ultimo simpliciter: sicut ex opposito, si peccator facit aliquod opus moraliter bonum, illud ipsum opus habitualiter refertur in bonum proprium tanquam ultimum finem simpliciter, quia per illum actum non auferretur efficax dispositio voluntatis, quæ pro amicitia Divinæ recuperatione non vult recedere à bono proprio, quod inordinate diligit, sicque creaturam interpretativè & appetitativè plus quam DEUM diligit. Quo posito

§. II.

Resolutio Thomistica.

CONCLUSIO. Finis ultimus actualis peccantis venialiter est [1] ipsum bonum proprium inordinatum, [2] inefficaciter intentum, [3] quod proinde est finis ultimus non simpliciter, sed secundum quid.

Primæ partis ratio est: Omnis actus moraliter mali finis ultimus est bonum proprium inordinatum: sed peccatum veniale est actus humanus moraliter malus, præsertim si non sit veniale ex defectu deliberationis: ergò. Major ex dictis in a. præcedenti deducitur: Inclinatio naturæ non quiescit ultimato in aliquo bono particulari

lari, quod non potest apprehendi ut fativum appetitum, sed reflectitur tandem in proprium commodum, idque inordinatum, siquidem est exclusivum saltem actualis relationis in DEUM: sed peccatum veniale est talis inclinatio: ergo.

Secundæ partis ratio est: Illud bonum est sub ratione ultimi finis efficaciter volitum, quod omnem relationem operantis non solum actualem, & virtuales, sed etiam habituales in se convertit, idè obque appetitativè diligitur super omnia: sed bonum proprium, in quod homo per peccatum veniale convertitur, non ita in se rapit omnem habituales relationem operantis, ut virtutes operationis omnis habituales ordinatio in alium finem ultimum destruat: ergo in ratione finis ultimi non est efficaciter volitum.

Tertiæ partis ratio est ex dictis: quia finis simpliciter ultimus est, qui appetitativè diligitur super omnia, atque omnia propter ipsum; sed bonum proprium non ita à venialiter peccante diligitur, siquidem peccato veniali gratia & charitas, quibus homo habitualiter ordinatur in DEUM, non destruntur. E contra finis secundum quid, & in ratione finis actualis ultimus est, qui ex vi præsentis volitionis neque actu, neque virtute refertur in alium finem: sed ita se habet bonum proprium inordinatum in peccato veniali: ergo.

§. III.

Solvuntur objectiones.

Obijcies primò: Ad finem simpliciter ultimum requiritur, ut voluntas se & omnia in ipsum referat: sed peccans venialiter non se & omnia sua refert in DEUM: ergo non habet DEUM pro ultimo fine simpliciter, minor probatur. Peccatum veniale est irreferibile in DEUM: ergo peccans venialiter non omnia sua refert in DEUM.

Respondeo distinguendo majorem. Requiritur, ut voluntas se & omnia in ipsum referat, vel actu, vel habitu, concedo; actu semper, nego. Sed peccans venialiter se & omnia sua non refert actu in DEUM, concedo, in habitu, nego minorem & consequentiam. Ad probationem concessio antecedente, similiter distinguendo consequens: ergo peccans venialiter non omnia refert in DEUM, actu concedo, habitu, nego consequentiam.

Inquis. Implicat illud, quod est essentialiter irreferibile in DEUM, quocunque modo referri in DEUM: sed peccatum etiam levissimum est essentialiter irreferibile in DEUM: ergo nec actu, nec habitu potest referri in DEUM. Quomodo ergo peccans venialiter omnia sua habitualiter refert in DEUM?

Respondeo. Implicat quocunque modo peccatum veniale referri in DEUM positivè, & ex parte actus, concedo, negativè & ex parte suppositi, nego. Sensus est, quod homo justus per habitum gratiæ & charitatis ita sit conversus in DEUM, & in illa animi dispositione constitutus, ut nolit quicquam eorum committere, quo sciat violandam esse conversionem & amicitiam cum DEO: Unde si sciret per aliquod peccatum ve-

niale Divinam amicitiam esse destruendam, mallet illud intermittere, quàm Divinam amicitiam violare. Voluntas igitur hominis justus gratiæ & charitate instructi absolute vult omnia sua opera tendere ad conservandam charitatem & amicitiam cum DEO, vel positivè, in quantum est parata elicere actus bonos referibiles in DEUM, & conducibiles ad augmentum charitatis; vel negativè, in quantum in actibus defectuosus & irreferibilibus in DEUM, ita tamen timore & amore DEI temperat & refrænat affectum, ut virtualiter & interpretativè malit ab isto actu desistere, quàm Divinam amicitiam violare. Ex qua voluntatis dispositione adhuc DEUS manet appetitatus super omnia. Et hanc posteriorem relationem habituales vocamus negativam, quia est habitualis dispositio voluntatis causans negationem nimis adhesionis ad objectum creatum, quâ violari posset amicitia Divina. Illam priorem vocamus relationem positivam, quia est dispositio in actus virtuosos positivè inclinans.

Dices. Actus, qui fiunt propter DEUM, sunt moraliter boni: sed peccatum veniale fit propter DEUM; quia habitualiter saltem refertur in DEUM: ergo erit moraliter bonum. Respondeo negando minorem. Neque enim habitualis relatio præsertim negativa secundum superiorem explicationem tribuit actui moralitatem: neque ratione ipsius finis formaliter, vel virtualiter infuit in actum.

Obijcies secundò: Qui peccandò venialiter in ordinatè amat aliquod bonum creatum, v. g. pecuniam, lusum &c. vel amat illud, ut fruens vel utens, quia juxta regulam D. Augustini l. 83. q. q. omnis qui amat aliquid, aut amat utens, aut fruens. Sed si utitur, non peccat, quia usus rei utendæ non est inordinatus. Si fruatur, tunc in illo collocat finem ultimum saltem negativè.

Respondet S. D. infr. q. 88. a. 1. ad 3. qui venialiter peccat, inheret bono temporali, non ut fruens, sed utens. Ad probationem in contrarium Respondeo. Usus strictè acceptus non dicit inordinationem, concedo, usus latè acceptus pro quolibet amore directè vel indirectè relato in alium finem, nego. Sic enim est malus, & dicitur abusus.

Inquis. Si peccans venialiter habet pro fine ultimo bonum proprium, tunc illo fruatur: quia amor finis ultimi est fruitio: sed frui rebus utendis est proprium peccati mortalis: ergo Respondeo. Fruatur bono proprio, prout fruitio latius accepta significat amorem exclusivum actualis relationis in alium finem ultimum. Non fruatur bono proprio, prout fruitio strictius accepta excludit omnem etiam habituales relationem in alium finem ultimum.

Inquis. Si peccatum veniale haberet pro ultimo fine bonum proprium, non tantum esset præter, sed contra legem DEI, sed hoc est contra doctrinam S. D.

Respondeo. S. D. in eo sensu negare, quod peccatum veniale fit contra legem DEI, quasi nimirum destruat ordinem, finem & legem charitatis. non autem quasi non contineat inordinationem aliquam repugnantem legi Divinæ.

Inferes.

11. Inferes. Hactenus dicta proportionaliter esse accommodanda ad actum moraliter bonum ab homine in statu peccati mortalis constituto elicium. Tunc enim vi habitualis adhesionis efficacis ad bonum creatum & commutabile etiam actus moraliter bonus, actualiter, sed inefficaciter relatus in DEUM habitu & negativè refertur in finem ultimum proprii commodi, eò quòd illa conversio sit nimis debilis, quam ut possit eradicare habitualement relationem ad finem malum super omnia appetitatum.

Sed quid dicendum, si constitutus in statu peccati mortalis peccet venialiter? Respondeo tunc peccatum veniale per se inefficaciter actu referri in bonum proprium inordinatum, quia ex se non est sufficiens destruere habitum charitatis; peccat tamen etiam habitu efficaciter convertitur in finem ultimum inordinatum, quia nimium per accidens est in subiecto, quod se de omnia per antecedens peccatum mortale retulit in bonum proprium inordinatum; neque illum actum sufficienter revocavit.

ARTICULUS IV.

An, quæcunque vult homo, velit propter aliquem finem ultimum?

SUMMARIUM.

1. Homo in omni sua operatione intendit finem ultimum formalem.
2. Saltem implicite & interpretativè.
3. Imò etiam formaliter, vel virtualiter.
4. Quid sit actus otiosus?
5. Bonum creatum, etiam dum inordinatè appetitur, servat habitudinem ad bonum in comuni.
6. Omnis actus humanus est propter aliquem ultimum finem determinatum.
7. Efficacia intentionis duplex acceptio.

§. I.

An & quomodo in omni actu humano intendatur finis ultimus formalis?

1. Certum est primò: hominem in omni sua operatione finem ultimum formalem, h. e. bonum & felicitatem in communi appetere: *Omnis enim*, (ut præclare Boëtius l. 2. de consol. prof. 2.) *mortalium cura, quam multiplicium studiorum labor exercet, diverso calle procedit, sed ad unum beatitudinis finem nititur pervenire.* Atque in hoc appetitu homines omnes conveniunt, quoniam verum est, (inquit D. Aug. l. 13. de Trinit. c. 5.) *quòd omnes homines beati esse velint, idè, unum ardentissimo amore appetant, & propter hoc cetera quæcunque appetant.* Et ita D. Th. a. 7. *Quantum ad rationem ultimi finis omnes conveniunt in appetitu finis ultimi, quia omnes appetunt suam perfectionem adimpleri, qua est ratio ultimi finis, ut dictum est. Sed quantum ad id, in quo ista ratio invenitur (nempe finem ultimum materiale in particulari) non omnes conveniunt in ultimo fine.* Hæc S. D.

Et Ratio est: quòd cum bonum sit adæquatum voluntatis objectum, quicquid appetit voluntas, vel appetit per modum boni perfecti, vel per modum boni tendentis ad perfectam beatitudinem. Si primum, jam appetit ipsam suam beatitudinem; si secundum, fertur in illud bonum propter suam beatitudinem; sive ut expleat appetitum, sicque in omni suo actu beatitudinem inquirat.

2. Unde certum est secundò, voluntatem in omni suo actu non quidem explicitè & actualiter, saltem tamen implicite & interpretativè (quod aliqui, licet minus propriè, appellant virtualiter ex parte operis) tendere in finem hunc

ultimum. Non semper actu tendit, quia, ut docet experientia, non semper actu cogitamus de fine ultimo, quoties circa objecta particularia occupamur. Tendit tamen saltem interpretativè & implicite: ad hoc enim sufficit, quòd voluntas feratur in bonum imperfectum, quòd tantquam pars & inchoatio boni perfecti ad illud suapte naturà referatur: atqui voluntas in omni sua operatione saltem tendit in aliquod bonum imperfectum, bono perfectè satiativo subordinatum, sicque tam bonis, quam malis commens est, ut tendant in suam beatitudinem: nam & qui malus est, malus non esset, nisi inde se habitum esse posse speraret. inquit D. August. tract. de Epicur. c. 3.

Verùm, etiã in omni suo actu humano, hunc ultimum finem formaliter vel virtualiter (ly virtualiter propriè sumendo pro intentione influente per aliquam virtutem & effectum à se relictum) intendit? Negat Contentosus & existimat, aliquando tantum tacite queri beatitudinem, & finem ultimum in aliquo suo radio, quatenus per omnem actum in omni objecto queritur aliquid pertinens ad beatitudinem, puta honestas, delectatio, pax, &c.

Sed Respondeo & dico, finem ultimum formalem in omni actu humano vel formaliter, vel virtualiter intendi: Ratio est. Tunc homo in omni sua operatione deliberata formaliter vel virtualiter agit propter ultimum finem in communi, quando omnem ipsius operationem deliberatam præcedit formalis intentio finis ultimi in communi, & absque morali interruptione in aliqua sua virtute effectu, & determinatione perseverat: sed hoc fit: ergò. Minor probatur. Quotiescunque homo aliquid de novo incipit operari, ad quod non erat determinatus ex præcedenti volitione finis in communi, totus de novo electionem finis in particulari præcedit formalis intentio finis in communi; sed hoc modo omnem operationem humanam propter aliquem finem in particulari præcedit intentio finis ultimi in communi, vel formaliter vel virtualiter influens: ergò. Major, in qua est difficultas, probatur in primis ex D. August. 11. d. Trinit. c. 6. dicente: *Omnis ista atque tales voluntates proprios fines habent, qui referuntur ad finem illum voluntatis, quæ volumus beati vivere.* Deinde ex D. Th.

D. Th. infr. q. 9. a. 6. ad 3. ubi hæc habet :
DEUS movet voluntatem hominis, sicut univer-
alis motor ad universale objectum voluntatis,
sed est bonum, & sine hac generali motione ho-
mo non potest aliquid velle. Ex quibus sic ducitur
 argumentum. Nunquam homo seipsum de no-
 vo movet & applicat ad volitionem finis in
 particulari, nisi prius à DEO moveatur ad vo-
 litionem finis in communi: ergo priusquam ho-
 mo seipsum determinet ad volitionem finis, &
 bene in particulari, movetur ad volitionem fi-
 nis in communi. Major est doctrina Doct. An-
 gel. alibi pluribus expendenda. Minor proba-
 tur. Proprius operandi modus in homine est,
 ut procedat ab universalibus ad particularia, sæ-
 pe etiam intentio finis in particulari est mala &
 peccaminosa, quæ proinde à DEO ut specia-
 li motore provenire non potest: ergo tantum
 intentio finis in communi est à DEO ut speciali
 motore.

¶ Sed dices primò: Hac ratione nullus actus
 humanus erit otiosus: quia otiosus est, qui ad
 nullum finem ordinatur: sed si omnis actus hu-
 manus refertur ad beatitudinem, nullus caret
 suo fine: ergo.

Respondeo, negando sequelam, ejusque pro-
 bationem distingo: Actus otiosus est, qui ad
 nullum finem proximum convenientem & ho-
 nelum ordinatur, concedo, ad nullum finem
 ultimum, nego. Nam ne actus sit otiosus, SS.
 PP. requirunt piam utilitatem, aut justam ne-
 cessitatem: finis autem ultimus in communi, in
 quem voluntas necessariò fertur, cum de se sit
 indifferens, ut applicetur ad finem particula-
 rem honestum, vel turpem, nullam actui tri-
 buit moralitatem.

¶ Dices secundo. Tametsi bonum creatum, ex
 actus inordinato amore homo peccat, sit quæ-
 dam participatio Divinæ bonitatis, non tamen
 illud appetendo dicimur hoc interpretativè &
 implicite velle propter DEUM: ergo licet bo-
 num particulare sit pars & inchoatio quædam
 boni ut sic, non sequitur, quod homo aman-
 do bonum particulare, illud interpretativè velit
 propter bonum ut sic.

Respondeo, negando consequentiam & pa-
 ritatem, quia bonum creatum, quatenus à pec-
 catore inordinatè diligitur, sicque substat ma-
 litæ morali, non amplius est participatio Di-
 vinæ bonitatis, sed eidem opponitur, sicque
 irreferibile in illam: E contra etiam, ut substat

malitiæ, servat habitudinem ad bonum & bea-
 titudinem in communi: quia non alia ratione
 à peccatore appetitur, nisi ut satiet & expleat
 appetitum: quæ appetitûs expletio est ipsa ho-
 minis beatitudo, & finis ultimus in communi.

§. II.

An etiam semper intendatur finis ulti-
mus materialis.

A Dhuc dubitatur. An omnis actus humanus
 sit insuper propter aliquem finem ultimum
 materialem; sive determinatum in particulari
 formaliter vel virtualiter intentum? Respon-
 deo cum Gonet contra Contentonum aliòsque
 plures, & dico esse. Nam licet actus aliquis
 inefficax simpliciter complacentiæ versari possit
 circa ultimum finem in communi & abstracto,
 efficax tamen intentio fertur in aliquem finem ut
 obtinendum; atqui finis ultimus obtineri non
 potest ut in communi & abstracto, sed ut deter-
 minatus ad certum subiectum: ergo efficax in-
 tentio finis ultimi fertur in illum ut determi-
 natum in particulari: Sed omnis operatio ho-
 minis deliberata est vel ipsa intentio efficax fi-
 nis ultimi, vel ex illa derivatur: ergo omnis
 operatio hominis deliberata est propter finem
 ultimum etiam determinatum, & in parti-
 culari.

¶ Sed dices. Si omnis actus humanus est vel
 ipsa efficax intentio, vel derivatur ex intentio-
 ne efficaci finis ultimi: quomodo peccans veni-
 aliter pro fine ultimo inefficaciter volito ha-
 bebunt bonum proprium, veluti in Arr. præcedenti
 affirmavimus? Respondeo efficaciam actûs
 posse dupliciter sumi, primò pro vi determi-
 nativa ad electionem mediorum pro consecutio-
 ne finis utilium, & sumimus ita in præsentia; Se-
 cundò pro vi exclusiva omnis habitudinis in
 alium finem simpliciter ultimum, sive pro vi
 appetitiva finis ultimi super omnia, quo sensu
 accepimus efficaciam in §. præced.

Potest igitur aliquod peccatum veniale effi-
 caciter versari circa ultimum finem, quatenus
 habet vim determinativam ad electionem me-
 diorum pro consecutione ipsius: potest etiam
 sub alia ratione inefficaciter versari, quatenus
 videlicet non habet vim appetitivam ultimi
 finis super omnia, neque exclusivam omnis al-
 terius habitudinis in alium finem ultimum.

DISPUTATIO III.

DE

Hominis beatitudine.

Ad q. 2. & 3. D. Th.

Considerato fine ultimo hominis in communi, designandum est illud bonum, in
 quo finis ultimus, & veræ naturæ rationalis Beatitudo consistat, quam Boëtius
 3. de consol. appellat *statum omnium bonorum aggregatione perfectum*. D. Augu-
 stinus

R. P. Mezg. Theol. Schol. Tom. II.

C

stinus